



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdicivm Philippi Melanthonis De Controversia Coenae Domini

Melanchthon, Philipp

Ratisponae, 1560

VD16 M 3533

Scholia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29449

Cæterum Ieremias & ipse audiebat : Vir rixarum & discordiarum, arguendo idolatriam & peccata populi. Nec patiebatur vero silentium sibi imponi, quod idem et Apostoli fecerunt.

(L) ABESSE) Agnosce, Heshusi, tuum persecutorem.

T E X T V S.

SECUNDO remotis contentiosis, prodest reliquos de vna (M) forma verborum conuenire. Et in hac contro- uersia optimum esset retinere verba (N) Pauli : Panis, quem frangimus, *κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος* : Et copiose de fructu Cœnæ dicendum est, vt inuitentur homines ad amorem huius pignoris, & crebrum vsum : Et vocabu- lum *κοινωνία* declarandum est. Non dicit (O) mutari na- turam panis, vt Papistæ dicunt : Non dicit vt (P) Bre- menses : Panem esse substantiale corpus Christi : Non dicit vt Heshusius, Panem esse verum corpus Christi : sed esse *κοινωνίαν*, id est, hoc quo fit consociatio cum corpore (Q) Christi, quæ fit in vsum, & (R) quidem non sine cogi- tatione, vt cum Mures panem rodunt.

S C H O L I A.

(M) FORMA VERBORVM) Nouum & hoc genus concordia, de forma verborum conuenire, vt omni- bus de re nondum conueniat, donec & hoc perficiatur, & obtineat error.

Aut veteris illius Arianæ similem concordiam esse volunt, qua inita simili forma verborum, Ariana pars pulchre imponebat parti Orthodoxæ : Et erant nouissi- ma peiora prioribus.

(N) VERBA PAULI.) Cur non etiam Christi? Quia fucum abstergant, dolum minus admittunt, sophisma detegunt.

(O) NON DICIT MUTARI naturam panis.) Nec verborum naturam dicit mutari, & corpus mentiri, quod nimis violenta interpretatione, vos dicitis.

(P) NON DICIT vt Bremenses.) Cur his non accenset Lutherum? etiam Confessionem Augustanam, Apologiam, Schmalchaldicos Articulos? Attramen nec Bremenses, nec Heshufius, nec Augustana Confessio, Apologia, nec Schmalchaldici articuli, sed Christus de pane dicit: HOC EST CORPVS MEVM, non fantasticum, non figuratum, sed substantiale, verum, quod pro nobis traditum est. Nouum & hoc genus impudentiæ est, Christi verba, cum eiusdem hac interpretatione repudiare, subfannare, ex Ecclesia eijcere. Increpet in te Dominus Satan.

Lutherus vltima confessione sua dicit: Panem esse corpus Christi, naturale, verum. Et Schmalchaldici articuli, quib. ipse subscripsit Philippus, dicunt esse verum corpus Christi. Augustana Confessio, Apologia, quas & aliorum nomine ipse scripsit, dicunt de præsentia corporali, vera, substantiali, veri & viui corporis Christi: Cur non & hos nominatim recenset, quos vere perstringit, & reijcit omnes? Quia non expedit causæ, quam tuetur.

Nec videt hominis vigilantia, se Paulum, quem arripit, Christo interea etiam contrarium facere, non in-

ter-

interpretando per Paulum Christi verba, dum abijcit, sed
verbis Christi verba Pauli re vera opponendo.

(Q) CVM CORPORE CHRISTI) Ergo
corpus Christi etiam adest, secundum verba Christi:
Hoc est corpus meum. Cui nunc magis habenda est fides,
Christo ne, an Philippo? fingenti sua interpretatione,
abesse corpus: Quam falso affingit Apostolo interpreta-
tionem, nusq; hoc dicenti, aut alioqui neganti veram ve-
ri corporis praesentiam, quin astruenti, siue verba spe-
ctes, siue consequentiam: Verba dico, quib. repetit ipsa
Christi verba, dicentis de pane: Hoc est corpus meum:
Consequentiam dico, qua ratiocinamur ex ipso hoc di-
cto: Panis quem frangimus, est communicatio corporis
Christi.

Ergo corpus Christi adest cum pane.

Et ex altero dicto: Qui panem hunc manducat
indigne, reus fit corporis Christi.

Ergo cum pane manducat corpus Christi, siue di-
gne, siue indigne.

Quæ vero consequentia fuerit, secundum Philip-
pum & Calvinum? Panis quem frangimus, est com-
municatio corporis Christi. Qui manducat panem
hunc indigne, reus fit corporis Christi. Ergo corpus
Christi non adest cum pane.

Concludo igitur, si nec verba, nec consequentiæ
verborum loquentium de Coena aliud cogunt, necesse esse
ipsa verba institutionis Christi propriè accipi, nec homi-

B. nis,

nis, nec angeli vel autoritate, vel aliunde accerfitis rationib., licere in aliud transformari, diuersum præfertim & contrarium: vt quod Christus dicit: Panem esse corpus suum, ipsi contra dicant, nequaquã esse eius corpus.

(R) IN VSV) Quem hîc pungit Philippus? Solos ne Papistas, & paucos quosdam alios, & non vniuersas nostras ecclesias? Quib. sciens facit iniuriam,

T E X T V S.

ACerrime pugnant Papistæ, & eorum (S) similes, vt dicatur corpus Christi extra lumptionem inclusum esse speciebus panis, aut pani: Et postulant adorationem, sicut Morlinus (T) Brunsvigæ dixit. **Du musse nicht sagen Nium Nium/ Sondern du musse sagen was dieses ist/ das der Priester inn der Hand hat.** Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, & crasa terra comburi. Cum VVormatiæ essemus ante biennium, quæstio ad nos mittebatur ex aula quadam: An corpus Christi descendat in ventrem. (V) Talibus prodigiosis quæstionibus reiectis, vtilius est retineri formam verborum (X) et de fructu recte doceri homines.

S C H O L I A.

(S) EORVM SIMILES) Similiter & hîc sciens facit iniuriam nostris, de inclusione, & est verus Syco-phanta.

(T) MORLINVS) En tibi Morline: En Sarceri, idolatræ. Neuter vero Sacramentum extra vsum constituit,